Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift

21

Putamus. non affirmando sed querendo temptandum est. De sermone
PER IDEM tempus de sermone domini in monte domini in monte lib. I.
secundum matheum duo volumina scripsi. In quorum primo propter id quod scriptum est
beati pacifici quoniam filii dei vocabuntur. sapientiam inquit congruit
pacificis. in quibus iam ordinata sunt omnia. nullusque motus adversus rationem
rebellis est sed cuncta obtemperant spiritui hominis. cum et ipse obtemperat
deo. Quod merito movet quomodo dixerim. Non enim cuiquam provenire in
hac vita potest ut lex repugnans legi mentis omnino non sit in
membris. quandoquidem etiam si ei sic resisteret spiritus hominis ut in nullo
ei laberetur assensu non ideo tamen illa non repugnaret. Hoc ergo
quod dictum est nullum esse motum adversus rationem rebellem recte ac
cipi potest id nunc agentibus pacificis domando concupiscentias
carnis ut ad istam pacem plenissimam quandoque veniatur. Deinde
quod alio loco cum eandem sententiam evangelicam repetens dixisse
beati pacifici quoniam ipsi filii dei vocabuntur adiunxi dicens.
et ista quidem in hac vita compleri possunt sicut completa esse in apostolis
credimus. sic accipiendum est non ut in apostolis hic viventibus nullum
carnis motum arbitremur spiritui repugnasse. sed hactenus hic ista
posse compleri. ut in apostolis credimus esse completa. ea mensura scilicet
perfectionis humane quanta in hac vita potest esse perfectio. Non enim
dictum est in hac vita compleri possunt. nam completa esse in apostolis
credimus. sed dictum est sicut completa in apostolis credimus ut ita comple
antur sicut in illis completa sunt. id est quadam perfectione cuius capax est
ista vita. non sicut complenda sunt in illa quam speramus pace plenissima.
quando dicetur. ubi est mors contentio tua. Alio loco cum posuissem tes
timonium non enim ad mensuram dat deus spiritum. nondum intellexeram
de christo proprie verius accipi. Aliis quippe hominibus non ad mensuram da
retur spiritus. nec duplum peteret heliseus quod fuit in helia. Item
quod scriptum est iota unum vel unus apex non transiet a lege donec
omnia fiant cum exponerem dixi nihil posse aliud intelligi.